





DE 15. 11. 1772  
252

# CHRONICO NARIUM CATARRHALI AFFECTV

AVCTORITATE  
INCLYTI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
SOLEMNI RITV IMPETRANDO  
DIE XXII. NOVEMBR. MDCCCLXXVII.  
HORIS MATVTINIS ET POMERIDIANIS  
PVBLICE DISSERET  
FRIDERICVS CAROLVS HEINTZE  
HALENSIS.

---

HALAE AD SALAM  
STANNO HENDELIANO.



CHRISTIANO  
NARINCIATARRAHU

ALTBESTA

AVANTAGEABLE

INCARTA MEDICO-ORNAMENTIS

IN REGIA IMPERIALIA

PRO CERADA DOCTORIS

SOLVENS HILY IMPERIALIS

DIC MELI MOLIERI MDCCLXXII.

HORIS MATRATIS ET TUMERICIS

ET TICKE DIESER

LUDERICAS CERDAS HINTZ

HANAU

HAIA AD CERAM

ONCOPHILIA IN HENDRIKINA



DE  
CHRONICO  
NARIVM CATARRHALI  
AFFECTV.




§. I.

Reperi equidem, multum varieque de morbis catarrhalibus disputatum esse atque disputari: catarrhalem vero narium affectum, qui chronici morbi indolem prae se fert, nullibi explicatus tractatum atque enodatum reperi. Igitur, cum istud vitii genus, prout frequens condocet experientia, satis pertinax sit ac molestiae taediique plenum,

ybe-

A 2



vberiori tractatione illud dignum esse putauit. Prius vero, quam pro-  
pius id malum concernentia attingam, non abs re fore arbitror, si fa-  
bricam partis, in hoc morbo affectae, paucis exponam, laesas actio-  
nes inde euoluturus.

## §. II.

Veruntamen omnia, quae de hoc organo dicenda essent, accu-  
ratissime ex anatomicorum animaduersionibus repetere, nimis foret  
taediosum; quare, missis instituto nostro parum inseruentibus, de iis  
tantum, quae ad rem nostram faciunt, explicatus differere iubabit.  
Et primo quidem loco hic consideranda venit membrana, quae totam  
interiorem narium regionem obtagit, *Schneideriana*, seu, a muci,  
quem fecerit, prouentu, *pituitaria* dicta. Ea cutis continuatio esse  
videtur, parum, quo sepe in nares immittit margine, ab eius structura  
recedens. <sup>a)</sup> Nares autem ipsas ingressa, in molleum, pulposam, cra-  
famque conuertitur membranam, non ubique tamen sibi similem:  
crassior enim in septo ac reliqua narium cauea appareat, in sinibus  
tenuior. Atque haec late patet, siquidem nares spatiostum constituunt  
cauum. Multum enim adaugent superficiem huius caueae, septo me-  
dio in duos meatus diuifae, recessu anfractusque, in quos ossa tur-  
binata, quae in interioribus nasi prominent, sunt contorta. Praeterea  
quoque variae cauernae, in ossibus cranii et faciei absconditae, sinus  
diaci, frontales, sphenooidales, maxillares, et ossis ethmoidei lacunar  
amplius nares dilatant. Oportet itaque membranam pituitariam in  
omnes istos anfractus, insiguesque cauitates sepe insinuantem, ampli-  
ficiat et plibet ostendere in illis secundum etiam dimidio eius.

<sup>a)</sup> WINSLOW Exposit. Anat. de la struc. du corps hum. Tom. IV. pag. 299.

simam evadere, valdeque tortuosam. Abundat ea caeterum nervis,  
vasculis atque glandulis, quae nunc percurramus.

### §. III.

Atque nervi, quibus natura largiter nares instruxit, maxime  
primo, olfactui praefecto, nervorum pari suos debent natales. Ner-  
vus iste ex inferiori anterioris cerebri iobi fine, atque ab anterioris  
et posterioris lobi interitulo exsurgens nascitur. Igitur duplice radice  
ortus, procedit antrorum, ac per foramina ossis ethmoidalis transcen-  
dens, narium membranam subit, in infinitas distributus fibrillas, quae,  
per omnem narium superficiem, eamque cava diffusae, summam ob-  
exilitatem in septo latescunt. <sup>b)</sup> Neque minus quintum nervorum  
par copiosissima filamenta nervea ad nares transmittit, per ampla ea-  
rum cava dispersa. Sic ex primo huius nervi ramo, nempe ophthal-  
mico, ortus ramus, nasalis dictus, <sup>c)</sup> post emissos alios ramos, in  
nasalem stricte ita dictum degenerat, qui, posteaquam per foramen  
orbitarium ossis cribrosi anterius egressus est, in septum anterius at-  
que membranam pituitariam se immittit. <sup>d)</sup> Secundus huius quinti  
paris ramus, qui et maxillaris superior nuncupatur, pariter nares adit.  
Is enim mox unum, mox plures ramos emittit, qui coentes ad fo-  
ramen sphenopalatinum in ganglion intumescunt, quod inuentor M E-  
CKELIUS *sphenopalatinum* dixit. Ex eo ganglio nascuntur <sup>1)</sup> ner-  
vi *nasales superiores anteriores*; <sup>2)</sup> *Vidianus* nervus, qui nasales  
su-

<sup>b)</sup> HALIER Elem. Physiol. corp. hum. Tom. IV. pag. 205. seqq. Prim. lin. Physiol.  
§. CCCCLVII.

<sup>c)</sup> WINSLOW. l. c. Tom. III. pag. 148.

<sup>d)</sup> MECKEL Tractat. de quinto pare nervorum cerebri pag. 43.

superiores posteriores producit; 3) *palatinus magnus*, e cuius anteriore ramo nasalis inferior aut nasales inferiores nervi oriuntur.<sup>e)</sup> Dentalis denique atque ramus infraorbitalis surculos porrigit, ad maxillares sinus abeuntes. <sup>f)</sup>

#### §. IV.

Ad vasa quod spectat, nares subeuntia, ea, tam arteriosa quam venosa, sunt numerosissima. Et arteriosa quidem a carotidibus maximeque externa ortum ducunt. Oriuntur autem propagines arteriosae multis inflexionibus trahi que serpantino et anfractuoso nares perrepantes, ab insignioribus quibusdam ramis nominatim a maxillari interna, nasalibus, infraorbitali, ophthalmica, palatina etc., quarum decursum plenius descripsit H A L L E R V S. <sup>g)</sup> Venas quod attinet, quarum quidem historia adhuc obscura est, singulos tamen istos arteriosos canales ad sociatae eae comitari videntur; quae demum in muculo pterygoideo externo in plexum collectae, humores suos in durae matris sinum, et externum venae iugularis internae ramum fundunt. <sup>h)</sup> Ingens praeterea numerus est, quae in membrana pituitaria dispersae latitant, glandularum folliculosarum, quarum ductus excretorii, membranam perforantes, in eius superficie, maxime circa septum

<sup>e)</sup> *Histoire de l' Acad. roy. des scienc. de Berlin.* An. 1749. p. 84. seqq. et N E V B A V E R de Nerv. Card. Sect. 1. pag. 24. seqq. ibique quod ad varietates attinet, uberior quoque legi potest.

<sup>f)</sup> HALLER prim. lin. physiol. §. CCCCLVII.

<sup>g)</sup> Elem. Phys. corp. hum. Tom. V. pag. 147. seqq.

<sup>h)</sup> HALLER pr. lin. phys. §. CCCCLVIII.


tum in conspectum prodeunt.<sup>i)</sup> Plorant vero oscula dictarum arteriarum humorem, qui partim exhalat, partim ad glandulas depositus, ad nares inde vehitur. Eo membrana pituitaria lubricatur atque nervi fere nudi, per narium caua dispersi, ab aeris, nares iugiter permeantibus, iniuriis defenduntur. Est autem humor iste blandus, insipidus, ab initio, dum per minima vascula fecernitur, tenuis, facileque in auram auolat, perspirabilis instar materiae: at temporis mora, subtiliori, quae fluiditatem ei conciliabat, auolata parte, in spissum tenacemque abit mucum.

### §. V.

Ex his vtcunque intelligitur, primo, intuitu vasorum, fieri posse, vt insignis sanguinis copia in naribus congeratur. Fertur enim magna sanguinis quantitas caput versus, cuius vero pars haud exigua ad exteriora abit. Atque membrana pituitaria per quam mollis est et laxa, vasa itaque eam perreptantia, propter minorem resistentiam inde enatam, facilius se extendi sinunt atque dilatari: augetur ideo humorum affluxus. Deinde vasa in naribus circumflexa sunt, et in diuaricantes serpentinosque ductus porrecta (§. anteced). Huius autem indolis vasa retardant humorum cursum, eumque reddunt lentum. At notum est, motu humorum tardo redditio atque languido, spissos humores gigni atque pituitosos; hinc plus pituitae in naribus generari posse manifestum est. Idque vel mucus testatur, qui in statu naturali ad nares congeritur. Varii autem sinus cauernaeque nares formantes commodum secretae pituitae praestabunt receptaculum.

Secun-

<sup>do</sup> WINSLOW l.c. Tom. IV. pag. 299. HALLER pr. lin. phys. §. CCCCLXIV.



Secundo intelligitur, intuitu nervorum, hoc organum esse perquam sensile: hinc facile posse affici, spasmorumque productionibus fauere. Cum denique nervus quinti paris, qui multos naribus praebet ramulos, aliis cum nervis connectitur, et isti ad varia corporis loca, ut infra monstrabimus, abeunt, consequitur, hoc organum a permultis quoque causis per consentaneum affici posse. Atque haec, quae ex consideratione fabricae narium fluunt, variis explicandis inferuiunt.

### §. VI.

Sequitur, ut de catarro narium dicam, haec pauca ex anatomis praefatis. Qui autem considerat, liquidum, quod modo descriptum dedimus, naribus inhaerens, a sanguine secerni, facile perspicit, illud perinde atque caetera liquida secreta multisariam vitiare posse. Eius autem vitia vel ad parcam vel nimiam copiam, vel ad nimis viscidam indolem atque tenacem, vel denique ad acredinem nimiamque tenuitatem redeunt. Quodsi itaque accidat, ut largiori in copia in naribus coaceruerit, eiusque qualitas dicto modo sit vitiata, morbus inducitur, quem *catarrhum narium* vocant. Sed varia subinde facie appetet; unde factum est, ut diuersae in medicorum scholis celebrentur species. Atque istae tum ab excretione, tum a qualitate liquidi denominationes fortinuntur. Etenim materia catarrhalis, in naribus stagnans, multaque incommoda inducens, nullo interdum modo excerni potest, id *graudinis* voce notari solet: aut excernitur quidem, at vel tenue, aquae instar, destillat, vel spissius tenaciusque difficilius excernitur, hoc *coryza*, illud *phlegmatorrhagia* audit. Fatendum quidem erit hoc loco, veteres haud adeo ad haec

haec discrimina respexisse, omnes catarrhos, ad nares relatos, communi coryzae termino insignentes.<sup>k)</sup> Placet quoque nonnullis ex recentiorum classe, ad significandum narium catarrhum, indiscriminatim coryzae et grauedinis nomine vti.<sup>l)</sup> Patere autem ex dictis arbitror, coryzam difficultorem nuci vilicidi excretionem indicantem, modo speciem catarri narium indicare, veramque, grauedinem inter et coryzam, intuitu excretionis intercedere differentiam: igitur generali *catarrhalis narium affectus* nomine vtinam, omnes enumeratas species hac voce comprehensuri.

### §. VII.

Frequens est haec narium affectio, humida ac simul frigida ingruente tempestate, hinc vernali maxume tempore atque autumnali inuidit. Multoties quoque alii non catarrhalibus solum morbis iungitur, sed frequenter morbos chronicos aequae ac acutos praeccurrit eosque comitatur. Per breve utplurimum spatium durat, et salutaris potius ceu critica excretio spectatur, dum noxium, quod in corpore succreuerit, eliminet, corpusque a grauioribus muniat morbis. Solet autem diutius quandoque affligere, quin nonnullos adeo per longum annorum tractum vexat: quem *chronicum* vocemus narium catarrhum; siquidem omnis morbus, qui longius siue cum periculo siue absque eo decurrit, *chronicus* audit.<sup>m)</sup> Tenendum autem

<sup>k)</sup> conf. SCHNEIDER de catarrh. libr. 5. Sect. 2. pag. 6. seqq.

<sup>l)</sup> de SAUVAGES Noſol. method. Tom. II. pag. 376.

<sup>m)</sup> GAUBII Inſtit. Pathol. med. §. 867. v. SWIETEN Commentar. in aphorism.

BOERM. Tom. II. pag. 19. 11.

\*\*\*

autem est, chronicus huius affectus eam esse conditionem, ut paroxysmi in aliis perdurent et interdum magis minusue ingrauescant, cuius rei memorabile exemplum refert BARTHOLINVS:<sup>n)</sup> in aliis autem interiectis interuallis modo recrudescent, et aliqua temporis mora subinde plane euanescent. Dixeris forte, hunc affectum ideo, quoniam non perduret, morbis chronicis haud adnumerandum esse. At scire licet, dispositionem numquam non corpori inhaerere, ita ut a leuissima quoque caussa, caeteroquin ad catarrhum narium inducendum minus apta, paroxysmi recrudescent: idque de aliis quoque morbis valet, quod paroxysmi interiectis interuallis revertantur, exemplo epilepsiae, febrium intermittentium, podagras aliorumque, quos tamen chronicos appellare nemo dubitat.

### §. VIII.

Proximum est, ut in catarrhum narium chronicum eiusque caussas proprius inquiramus. Quare, ut ordine progrediar, histriam huius molesti affectus praemittere vifum est. Initum is vt plurimum cepit, si primam originem attendamus, perinde atque cæteri affectus catarrhales, ab aeris, quoad calorem et frigus, vicisitudinibus, consuetis stipatis symptomatibus: frequentibus nimirum sternutamentis, ardore atque pruriitu narium, faciei rubore et infestatione, oculis lacrymantibus ac turgidis, tinnitu aurium, corporis lassitudine, capitis dolore &c. Ipse autem catarrhalis affectus, in paroxysmo spectatus, non uno eodemque modo se manifestat. In aliis enim coryzae, in aliis phlegmatorrhagiae phænomena apparet:

<sup>n)</sup> Histor. anat. Cent. VI. 37.

rent: frequentius autem obseruaui, grauedinem eos aut coryzam vexasse. Nares interdum in vno latere, interdum in utroque obstruuntur, ita ut spiratio sit admodum difficilis, nec potus aut cibi commode deglutiendi queant, tumque mucus, si excretio eius continet, saepius per fauces, in quas delabitur, eliminatur. Accedunt cephalgiae, extremorum maximeque pedum frigus, motus febres, olsactus abolitio, in aliis autem, quod sane memorabile, vel in grauedine una cum gustu is viget et integer manet. Atque istiusmodi paroxysmi mox leuiores, mox vero grauiores, interdum breuiores nonnumquam autem longiores esse solent, sic, ut obseruauerim, eos ad quatuor hebdomades et plures etiam fuisse extensos. Sunt quoque, quos omni tempore fere eodem tenore adfligit; in aliis autem istae molestiae redeunt, aut incrementum capiunt, simulac calidam atque siccum humida et frigida excipit tempestas. Praeterea pedum refrigerium, plethora, atque sanguinis ad caput congestiones paroxysmos vel intendunt, vel inducunt. Sic pluries a solo vino assumto, vel situ capitis prono, grauedinem inductam obseruaui.

### §. IX.

Solent vero huic malo maxime subiici, sensiles, vitae sedentariae dediti, hypochondriaci, subiecta pituitosa, laxa, quae phlegmaticae sunt temperiei, catarrho saepius affecta; iisque qui visceribus, viuisque primarum viarum laborant, multumque sudant. Quod restat, chronicus iste catarrhus in morem quidem omnium catarrorum soluitur; saepius tamen obseruaui, eum, vigente aeris humiditate, perdurasse, cum corpus sudore perfunderetur.

B 2

### §. X.



## §. X.

Causas huius mali, atque rationem, qua fiat, ut nares tam diu tamque frequenter afficiantur, perscrutaturis, inquirendum erit, unde nimia muci seruie actoris accumulatio, quam omnis narium catarrhulus ponit (§. VI.), in vniuersum nascatur. Atque haec duplii modo oriri videtur. Etenim liquidum copiosius naribus inhaerens, vel nimis largiter et copiose huc desertur, ut ab ambeunte aere auferri nequeat; vel illud, secrezione minus aucta, coaceruatur, ob impedimentum, quo fit, ut secretus humor non liberum habeat exitum, sed in emissariis relinquatur. Nam, occlusis excretiorum meatuum officiis, humores, quos vasa adiumenta perpetim a tergo deserunt, retinentur, eaque ratione accumulantur.

## §. XI.

Perpensis iis, quae in vniuersum catarrhum narium inducunt, facilius elici poterunt, quae remotius agunt, caussae. Atque haesunt quam plurimae. Verum cum nobis de chronico tantum affectu sermo est, isque diutius corpori inhaeret, patet, eas modo causas esse perstringendas, quae continuae sunt atque perdurant. Notari hinc praecipue merentur caussae praedisponentes. Ista autem vel ab organo ipso vel aliunde deponendae erunt. De quibus nunc dicam, orsus ab organo.


## §. XII.

*Morbosa organi secretorii debilitas* primum certe inter causas tenet locum. Ipsa equidem laxa narium fabrica ac copiosa vasa hu-

humorum fauent accumulationi (§. V.) et largiori inde pituitae secretioni. Quodsi itaque id accedat, vt tonus vasorum sit fractus, laxitasque iis inducta, copiosiores ea, imminutam ob resistentiam, recipient irruentes humores, hi vero vasorum ope destituti, haud sat promoueri poterunt, motusque eorum euadet tardus. Liquet inde, eos accumulari, viscidamque induere naturam. Mucosus autem iste humor, in suis diuerticulis stagnans, aut effluere plane nequit aut difficulter excernitur. Inducitur igitur tum mox coryza, mox grauedo. Verum prouti vasa laxa excretionem impediunt, sic ea quoque largior inde fieri poterit. Vasis nimirum relaxatis, iisque nimis patulis redditis, liquida consertim adducta, ob vires retentrices destructas, transmittuntur et perpetim exsudant: phlegmatorrhagiae hinc scaturigo. Sic inde originem traxisse videtur phlegmatorrhagia, quam ex coryza remanentem obseruauit MORGAGNVS.<sup>o)</sup> Atque haec narium debilitas, cum continua sit atque perduret, semper istas molestias inducit, ad minimum a leui accidente causa eae redibunt. Igitur inter causas chronici huius affectus reserri poterit. Inducunt vero hanc narium debilitatem, totius corporis debilitas, haemorrhagiae huius partis frequentes, et catarrhus narium saepe perpeffus; vasa enim a continuo affluxu extenduntur, ideoque magis magisque relaxantur: testante v. SWIETEN.<sup>p)</sup> Simil patet ratio, inquit, quare debilioris constitutionis homines et saepius et validius his morbis affligantur, quia nempe minus firma in his vasa, obstructis meatibus excretoriis, facilius dilatantur, et dilatata non tam cito in pristinam

<sup>o)</sup> de causs. et sed. morb. epist. anat. med. 14. artie. 21.

<sup>p)</sup> l. c. Tom. II. pag. 638.



nam redeunt dimensionem: unde quandoque horum locorum vasa sic degenerant, ut pergant diu et valide humores per has vias expellere, sicque totum corpus emungatur etc. Accusatur quoque pulueris sternutatorii abusus. Nec praeter rem: ob continuam enim irritationem humores copiosius ad nares ruunt, unde vasa de-  
mum nimis dilatantur.

### §. XIII.

Praeter haec, quae ad organum spectant, et sanguis suum confert symbolum. Satis enim constat, maiorem humorum copiam organis secretoriis applicatam, ea tamen lege, ut aliae circumstantiae non obstent, nec inde obstacula oriantur, largiorem quoque sequi secretionem. Liquida hinc est ratio, quare *plethora* caussas inter catarri narium chronici sit referenda, tumque in primis, quando in subiectis, sero et muco resertis, obuenit. Etenim, tota massa sanguinea adiuncta, serosa atque mucosa sanguinis pars  $\vartheta$  increscat necesse est; e quo consequitur, liquidi etiam, mucosae serofaeue indolis, secretionem magis inde promoueri posse. Consentunt in id observationes, quibus patet, sola sanguinis missione catarrhum subinde vel imminutum esse, vel plane sublatum. Atque id, quod de *plethora* differimus, aequa bene de sanguinis ad caput congestione, vt pote quae nil nisi *plethora* particularis est, valebit. Pronum hinc est colligere, quicquid frequenter sanguinis raptum caput versus determinet, caussam quoque ponere ad catarrhum narium chronicum disponentem. Ex quo fonte explicari poterit, quare lucubrationes nimiae,

ex-

Q) GAVBIUS l. c. §. 278.




exaestuantia velut vinosa, pedum refrigeria huic morbi generi fauent.

#### §. XIV.

Neque minus attendi meretur *qualitas sanguinis laesa*. Cum materia catharrhalis ex uniuersa humorum massa ortum trahit, sequitur, vt, quo magis sanguis particulis liquido in naribus secreto appropriatis abundat, eo magis quoque huius liquidi secretio adiuuetur. Hinc *sanguis pituitosus* atque *serosus* ex cauillarum catarri chronicci censu sunt. Qualem sanguinis indolem catarri generationi apprime fauere, experientia comprobat. Sic phlegmatici, infantes et sexus sequior frequentibus vexari solent catarrhis: siquidem ob laxiorem structuram plus pituitae serique generatur. In quibus sanguis pituitosus eminet, vt *vo'GEL*<sup>r)</sup> innuit, in iis catarri continui generantur. Cumque congestiones semper sequi soleant debiliora loca: non mirum ideo, humorum affluxum, ob laxam narium fabricam, accidente in primis morbosa debilitate, magis debere haec versus loca dirigi. Quare hares a sanguine, hanc indolem nacto, p[re]a caeteris affici debere, constat. Patet inde simus, vitam sedentariam, desidiam, somnum protractum atque frequenter eminus ad catarrhum narium chronicum disponere. Siquidem circuitus vitalis inde languet ideoque humores spissi euadunt atque pituitosi. Neque minus innoscit ratio, quare ii, qui in humido degunt aere, frequentius hoc morbo laborent. Aer enim humidus, praeter id, quod relaxando agat, ob impeditam quoque transpiratio-

*r) de cognosc. et curand. praecip. C. H. affect. pag. 239.*





tionem autemque inhalationem corpus replet, sanguineinque redit nimis serosum.

### §. XV.

Non minus *vitia immi ventris maximeque primarum viarum* caussarum catarrhi narium chronici censui adnumerare licet. In vniuersum inde catarrhos oriri, multiplices docent obseruationes. <sup>a)</sup> Igitur si ista vitia perdurent, catarrhum quoque chronicum posse induci, manifestum est. Sic quoque *TISSOTVS* <sup>b)</sup> laesam digestionem inter diuturnorum catarrhalium affectionum caussas refert. Ex eadem quoque caussa et hypochondriaci facieis coryza et graudine laborare videntur. <sup>c)</sup> Etenim, digestione laesa, crudi magis humores, viscidi atque pituitosi generantur, partes ergo perpetim subministrantur, quae catarrhali materiae conueniunt. Verum non vnicarum est ratio, quare huic morborum generi digestio laesa fauet. Quodsi enim organa primae digestionis male afficiantur, assumta diutius in intestinorum canali commorantur, vnde maior aeris quantitas excluditur. Is autem distendendo et irritando spasmus excitat. At spasmci abdominales, humores superiora versus pellendo, variis congestionibus praebent ansam. Quantum vero congestiones ad morbum nostrum inducendum valent, supra dictum est. Et ipsa alii tarditas, iis, qui laeso abdomen laborant, adeo familiaris, ob eandem caussam catarrhos adiuuat. Solet quoque inde ab hac caussa


<sup>a)</sup> WILICH diff. de frequent. catarrh. ex primis viis origine.

<sup>b)</sup> Anleitung für den gerügen Mann etc. pag. 143.

<sup>c)</sup> VOGEL l. c. pag. 439. BRENDEL diff. de valerud. ex hypochondrius §. 6.

sanguis vitiosus evadere (§. ant.). Nec alienum est, nares, organis primae digestionis male affectis, ex consensu affici. Insigne sane esse primarum viarum imperium in cutis vasa, facileque inde spasmos in cute induci, notum est. At vero membrana pituitaria nil nisi cutis est continuatio (§. II.), hinc ea ex eadem ratione affligi poterit. Praeterea ex supra dictis intelligitur, nares quinto nervorum pari permultos debere nervos. At ramus huius nervi vidianus constituit cum sexto nervorum pari intercostalem nervum. <sup>x)</sup> Id considerans facile videt, fieri omnino posse, vt nares a vitiis imi ventris afficiantur. Intercostalis enim nervi arcta est connexio cum pari octauo. Vterque vero cum intercostalis tum octaui parisi nerviis multis ramulis viscera abdominalia, maximeque ventriculum intestinorumque canalem adeunt. Nervis ergo in abdomine irritatis, aut quoconque modo affectis, id ad nares poterit propagari. Atque haec nota sunt, verum disceptatur, qui fit, vt inde catarrhus narium inducatur. Idque duplice modo fieri probabile est. Nervis enim narium per consensum ab imi ventris nervorum irritatione affectis, vel oscillationes vasorum augentur, ita vt affluxus humorum augeatur, vnde largior muci seriucontingit secretio: vel potius spasm' vasorum nares perreptantium inducuntur, et retinentur inde liquida excernenda. Vtrumque vero catarrhi generationi fauere, supra innui (§. X.). Comprobant id quoque obseruationes, solum nimirum spasmum, qui vitiis abdominis ortum debet, interdum catarrhum inducere. Siquidem in hypo-

<sup>x)</sup> MECKEL I. c. pag. 55.



hypochondriacis perfaepe grauedinis, quae percipiuntur, incommoda, non nisi antispasticis adhibitis, profligari possunt. <sup>y)</sup> Quod caeterum praedictae primarum viarum irritationes propter spasmus, in acute productum, catarrum prouocare valeant, haud nego.

### §. XVI.

Sanguis, dum per vasa circumvoluitur, per cutim et alias excretiones perpetim a partibus acribus serosis atque mucosis liberatur, praeципiente physiologia. Quibus excretionibus suppressis, ad alia subinde loca, maxume debiliora, hanc materiam excernendam deferri, notum est. Hinc ad nares inprimis, ob rationes saepius adductas, laxiorem scilicet fabricam et consensem cum aliis, ruet. Quicquid itaque efficit, ut istae excretiones inprimis ea, quae per cutim contingit, siquidem catarrii quam frequentissime perspirationi suppressiae natales debent, facile supprimantur; id quoque catarrii narium chronici sistet caussam. Quorundam spectat *aucta sensilitas*. In eiusmodi enim subiectis facile spasmi producuntur. Liquet hinc, cutis vasa a leviori quoque causa posse constringi, indeque perspirationem supprimi. Fluit inde ratio, quare debiliores, iisque, qui nimis studiose ab aeris iniuriis se defendunt, tam frequenter cum catarris conflictentur. Nam cutis sensilior inde redditur, ideoque facilius perspirationis negotium turbatur.

### §. XVII.

<sup>y)</sup> confer. RAHNII diff. de miro inter caput et viscera abdominis commercio, pag. 46.

## §. XVII.


Ex his expositis intelligere datur, plures quidem caussas sibi catarrhum narium chronicum vindicare, ut plurimum tamen organi secretorii debilitatem praecipuam constitui caussam, eamque semper concurrere: siue organum ab initio patiatur, siue successu temporis ob continuum humorum affluxum tandem debilitetur. Patet porro, hunc morbum nequaquam aut rarissime saltim inter salutares morbos posse referri. Differentiae denique huius catarri generis immotescunt. Notabilis est eius in idiopathicum, symptomaticum, atque sympatheticum diuisio. Conducit certe haec diuisio ad malum funditus eradicandum.

## §. XVIII.

Transgredior ad symptomata, variaque phaenomena explicanda. Quibus vero, cum leuia sint, qua fieri potest breuitate immorabor. Quodsi ea, quae (§. VIII.) dicta sunt, considerantur, haud difficile erit ad intelligendum, in catarrho narium insignem adesse humorum ad caput congestionem. Constat vero, quod, si humores vitium versus locum ruant, alia eo magis depauperentur. Igitur, dum sanguis ad superiora congeritur, deficit in extremis. Cum vero calor corporis ab ipso sanguine circulante pendeat; inde iam liquet, quare extrema frigeant. Neque minus oculorum lacrymatio, aurium tintitus, dolor capititis obtusus, ab excedente humorum ad caput decubitu, eorumque accumulatione explicari poterunt. Notum quoque est, plethoram, spasmos, motus febries, vitiaque primarum viarum lassitudinem inducere. Atque haec pluries in nostro affectu concur-

C 2

runt,



runt, hinc ratio lassitudinis patet. Cumque nerui narium, ob materiae catarrhalis affluxum, sensiliores reddantur, et ab hac ipsa materia cum ob acredinem, tum ob copiam irritentur: sequitur, irritatione ea ad neruum intercostalem propagata, sternutationes oboriri posse. Patet quoque simul, quare olfactus faepius accedat abolitio. Olfactorii enim nerui rami, vel a vasis propter magnam fluidorum affluentium copiam distentis, comprimuntur, vel a nimia muci copia obducuntur, vt itaque effluvia odorabilia in eos agere nequeant. Fieri autem poterit, vt mucus locis potius, narium inter cavitatem fauciumque sitis, inhaereat, vt facillior muci ex naribus in fauces delapsus docet; tum neruus, qui olfactui inferuit, minus afficitur; olfactus adeo viget et illaesus existit. Innotescit quoque ex dictis nostrum affectum praecipue vasis narium relaxatis originem debere. Pronum inde est colligere, humida ingruente tempestate qua laxitas augetur, et perspiratio, vt in vniuersum, sic in narium cavitate quoque supprimitur, recrudescere paroxysmos, eosque augmentum capere debere. Neque hinc assentimur sententiae, quam e PERCIVALL POTTERI scripto notissimo proponit clar. RICHTER. 2) Catarrhum chronicum enim nascentem polypum indicare autumat. Diejenigen, inquit, die einen Polyp in der Nase haben, sind, so lange er sich nicht zeigt, gemeinlich in der Meinung, daß sie immer mit Schnupfen geplagt sind. Sobald feucht Wetter eintritt, verstopt sich die Nase, es fliesst viel Feuchtigkeit aus derselben, der Geruch verliert sich, auch ist wohl ein öfteres Niesen zugleich da:

*mumq; nariumq; superi; esistit autem sanguis, mucusq; und  
mucusq; effusus in vasis naris. Adeo nunc purus Aer, secundumq; mucusq;*

2) Chir. Bibl. III, 175.




und dies alles verliert sich, sobald wieder trocken Wetter eintritt. Man hält dies für Anfälle von Schnupfen, da es doch ein junger Polyp ist, der bey feuchten Wetter ausschwimmt, und dadurch diese Zufälle veranlaßt. Nam 1) non inficiamur quidem, si membrana pituitaria diutius frequentiusque affligatur, polypum inde enasci posse. Tum vero frequentior iste catarrhus, cuius sequela polypus est, verus erit catarrhus, non in speciem talis. 2) satendum, id, quod asserit Pottius, accidere posse; sed satendum quoque simplicem catarrhum chronicum iisdem phaenomenis stipari. Igitur ab his obseruatis ad polypum nascentem nondum concludi potest. Quod sane tanto confidentius adfirmo, quo certius noui, suisse, quos quinque pluresque annos catarrhus chronicus absque vilo polypi vestigio adfixerit. Et polypum quoque difficilius paulo a catarrho generari posse, arbitror. Polypus enim qui magis pituitosam natus est substantiam, qualis est, qui ab humorum accumulatione pendet, inde natales trahit, si liquida ob laxitatem vasorum copiose quidem recipiuntur, sed parcus dimittuntur. Vnde membrana extenditur, et excrescens prouenit. At vidimus, materiam istam pituitosam tandem excreni: anne igitur id ipsum, quod polypum inducit, eliminatur? Ininde si polypus quoque interdum progerminaret, ex commemo- ratis tamen symptomatibus statim ad eius prouentum concludere parum licet.

### §. XIX.

Restat, vt ratione prognoseos quaedam addam. Quannuis quidem noster affectus saepius nil nisi summam creet molestiam; nec omni

XX. 2





omni tamen caret interdum periculo. Extimescendum enim est, ne humores, qui copiosius ad caput affluere consueuerunt, in dispositis maxumeque senilibus subiectis apoplexiam demum inducant. Praeterea alios quoque excitat morbos. Poterit enim digestio inde laedi, siquidem omnes eiusmodi defluxiones, temporis spatio, digestioni noxam intulisse, obseruatum est. Tabes quoque corporis quandoque sequitur. Insuper narium in membrana sub diuтори mali perdurazione, vlcera polypique enasci possunt. Et in vniuersum notandum est, hoc vitii genus esse valde rebelle, illudque refractarie omnium medicaminum vires illudere.

### §. XX.

Atque nunc de profligando hoc malo differendum erit. Omni quidem morbo mederi debemus, caussam remouendo: atque haec cum in nostro affectu varia est, medelam quoque diuersam esse patet. Quodsi itaque aliis subsit morbus, veluti laesa digestio, malum hypochondriacum, haec remouenda esse, quisquis, vel me talente, perspicit. De quibus igitur singulis differere, nimis prolixum esset, nostroque instituto parum conueniens. Praecipua itaque methodi medendi momenta adiiciam. Quae quidem eo redeunt: ut affluxum humorum a parte affecta auocemus, et ad convenientiora loca ducamus; atque, quo minus noua materiae accumulatio generetur, impediamus; denique organo, tono destituto, robur erit restaurandum.

### §. XX.



\* \* \*

### §. XXI.

Conserunt itaque ad primam indicationem exsequendam laxantia. Etenim copia humorum, vasa aggrauantium, inde imminuitur, et humores, simulcilo intestinis applicato, copiosius huc ruunt, affluxus sic reuelliit visceris versus abdominalia. Ut ideo inanis fit eorum metus, qui laxantibus, in catarrhalibus narium affectibus propinatis, materiam ad pulmones duci, sibi persuadent. Congruum autem erit offerre, quae praesenti statui respondent, alium ducentia. Igitur, ubi pituita eminet, magis conducunt, quae viscidum resoluunt, et euacuant, simulque intestinalium et ventriculi vires corroborant, ut salina cum rhubarbaro remixta.

### §. XXII.

Pediluvia tepida in congestionibus a superioribus auertendis magni esse momenti, neminem fugit. Proficua itaque erunt in proposito casu. Eaque in primis ideo conducunt, quia in catarrhalibus narium affectibus inferiora plerumque spasmio sunt correpta, ut frigus docet, quod in iis percipitur. Impeditur hinc circulatio his in partibus, unde humores ad superiora, vtpote quae minus resistunt, compelluntur. Atque pediluvia his auferendis apta sunt. Nam tempore suo blando vasa relaxant, spasmumque soluunt: efficitur adeo, ut cursus humorum liberior euadat, iisque magis ad relaxata vasa ruant. Depletur hinc caput et ab humoribus grauantibus liberatur. Ex eadem quoque causa indicantur inferiorum frictiones, siquidem inde affluxus ad haec loca augetur.

### §. XXIII.

Remediis deriuantibus iure quoque adnumerari poterit venae-  
fictio. Plethora enim, si obtinet, saepe sphaenitis variisque con-  
gestionibus praebet anfiam. Quae omnia cessant, superflua sanguini-  
nis quantitate detracta. At sanguinem quoque mittere oportet, ad  
nouam materiae progeniem arcendam atque demendam. Siquidem  
plethora praeter copiam, qua, vt supra innui, hunc affectum indu-  
cit, saepius quoque se et excretiones turbando, catarrhorum praec-  
bet scaturiginem. Igitur ea, siue morbum adaugeat, siue nouum  
facile excitet paroxysmum, erit imminuenda. Nec audiendi sunt,  
qui sanguinis missionem catarrhalibus in affectibus in uniussum  
dissuadent. Neque, si, quod res est, dicendum sit, argumentorum,  
quae proferunt, grauitatem sentio. Autumant enim ii, venaese-  
ctione instituta laxitatem corporis in catarrhalibus morbis iam praec-  
sentem augeri: perspirationem magis quoque imminui; atque mo-  
tum humorum in catarrhalibus affectibus iam tardum debiliorem in-  
de reddi. At haec omnia modo valent de venaesectione intempestiue  
instituta. Satis enim notum est, cuncta, quae recensentur, vitia,  
laxitatem nempe vasorum, perspirationem imminutam, tardumque  
humorum circuitum quandoque plethorae soliummodo deberi. Qua  
igitur sublata, robur potius corpori conciliatur: perspiratio et hu-  
morum circuitus intenditur. Nec vnquam sanguinis missionem, vbi  
vera obtinuit plethora, nocuisse obseruauit. Haud deficiunt quoque  
magni nominis viri, qui sanguinis missionem laudant, vt TISSOTVS,<sup>o)</sup>  
quin

<sup>o)</sup> l. c. pag. 139.

quin HOFFMANNVS <sup>b)</sup> meam confirmat sententiam. *Rheumatismos*, inquit, *coryzam, catarrhos venaesectio improuida saepe gignit, tempestive autem admissa egregie arcet.* Quare in omnibus catarrhalibus morbis, vbi sanguis abundat, venaesectio erit administranda, vbi vero deficit, omittenda penitus.

### §. XXIV.

Impeditur porro nouae materiae accumulatio, si caussae supra commemoratae auferantur. Inprimis vero aeger diaetae regulis conformiter viuat. Euitentur itaque cibi crassi, viscidii, ne pituita, humorumque visciditas augeatur. Adfuescant maxime exercitationi, motuique tales aegri, praecipue equitationi. Motus enim corporis non digestionem solum facilitat, sed etiam humores magis vniuersaliter distribuendo, omnesque se et excretiones adiuuando, humorum visciditatem, eorumque ad particularia loca congestiones impedit. Pedes quoque semper aequali conseruentur calore: ne sanguinis ad superiora fiant regurgitationes. Cauendum autem, ne corpus nimis scrupulose ab aeris iniuriis defendatur. Inde enim saepius catarrhales affectus protrahuntur. Fugiant itaque, ut TISSOTVS monet, calida hypocausta, et magis frigori se adfuescant.

### §. XXV.

Prae ceteris quoque ad primas vias respiciendum, et, tonicas ac digestivis adhibitis, visciditati, e vitio primarum viarum oriundae,

<sup>b)</sup> *Med. rat. syst.* Tom. III. Sect. II. pag. 569.

undae, obuiam euindum. Quae cum satis nota sint, recensioне non indigent. Non possum tamen, quin moneam, minus hic utilem esse Corticem peruvianum, quem in diuturnis catarrhalibus affectibus commendatum inuenio. Largiter eum assumtum esse scio: at frustra. Neque etiam iis gaudet partibus, quae laxitatem tollant. Et si unquam fuerit proficuus, in iis sunt affectibus, qui potius systematis nervosi turbas sequuntur. Catarrhales enim affectus quandoque morborum periodicorum, ut dicunt, faciem praese ferunt. Sic quoque *de SAUVAGES*<sup>a)</sup> febricosum catarrhum, qui periodicum tenebat cursum, purgantium atque Corticis peruviani usu sublatum refert. At hoc in casu Corticem peruvianum, quotentus in sistema nervosum agit, profusile, quisquis intelligit. Quare potius ex roborantium classe ea sunt eligenda, quae vim cohaesione solidorum intendunt. Talia vero sunt martialia tum interne tum externe usurpata. Ea enim elementis solidorum particulas addunt grauiores, sicque nisum partium ad se inuicem augent. Atque cohesio solidorum pendet ab illo partium nisu ad se inuicem. Igitur martialia maxime commendanda sunt in nostro affectu, caeterisque roborantibus praeferenda. Et aromata quoque, et vina congrua, et elixiria sic dicta visceralia locum hic inueniunt.

### §. XXVI.

Atque haec simul ad tertiam indicationem spectant. Cum tamen laxitas organi secretorii nimia et elasticitas vasorum imminuta

his

<sup>a)</sup> Medicus Geschichte period. Krankh. pag. 88.

<sup>b)</sup> loc. cit. pag. 377.

his subinde non cedat: ad externa quidem confugiendum esset. Nam iste affectus, si vetustior est, omnem internam quandoque respuit medelam. Optime itaque tum succurri posset naribus per quam laxis atque infirmis, externis roborantibus et adstringentibus, naribus vel immediate vel in suffumigis applicatis. At cautus sit, qui iis vtatur, et probe inquirat, num sola vasorum laxitas diuturnum soueat decubitum; alioquin ab externis adhibitis horrenda subinde mala inducta esse, obseruata docent. <sup>c)</sup> Igitur externorum usum medentis acumin relinquimus.

<sup>c)</sup> v. SWIETEN l. c. Tom. IV. pag. 308. 309.



THE-

# THESES.

I.

Dantur partes nec non affectiones partium in sano corpore,  
quae omni carent utilitate.

II.

Dubitari potest, num bilis cystica verum praestet usum.

III.

Non licet functionem corporis humani plane naturalem  
v.g. respirationem cordisque motum e causa, quae praeternatura-  
lis est, explicare.

IV.

Pulmones non destinati sunt sanguinis transitui.

V.

Male putatur mensium causa esse plethora vniuersalis,  
quae plethoram vteri particularem inducat.

VI.

Verus mensium finis non videtur esse sanguinis diminutio.

VII.

Paralysis cordis vera non est morbus.

VIII.

Emetica in grauidis, et si centum docerent obseruationes, eo-  
rum usum nullam intulisse noxam, tamen fugienda sunt.

IX.

In plerisque febrium intermittentium speciebus Cortex  
Peruvianus non operatur ut specificum.

Halle, Diss., 1777/8

VD18

ULB Halle  
002 187 604

3



f

sb







DE 15. 11. 1777  
292

# CHRONICO NARIVM CATARRHALI AFFECTV

AVCTORITATE  
INCLYTI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
SOLEMNI RITV IMPETRANDO  
DIE XXII. NOVEMBR. MDCCCLXXVII.  
HORIS MATVTINIS ET POMERIDIANIS  
PVBLICE DISSERET  
FRIDERICVS CAROLVS HEINTZE  
HALENSIS.

---

HALAE AD SALAM  
STANNO HENDELIANO.

